



Syllabus contentorum.

1. Orientis Commonitorium fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schwarzfleischii.
2. Christ. Gottfr. Stentzelii Liber de curium blandimentis veris magis quam blandis.
3. Io. Abrah. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri selecta et varia Latini purioris monumenta, ubi habentur a) Frid. Gotthilff Marschall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophiae Elisabeth. Schwartzensfeldia. b) Io. Phil. Steuogtii Progr. de uno studio genere seligendo. c) Eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christian. Gott. Schwarzii Progr. in obitum Christian Gottfr. Laur. Rinckii. e) Epistola quaedam selectiores virorum doctissimorum e) Mstr. eruta. f) Varia poetica, ut x) Mr. de Hatten Vir bonus. b) Eiusd. Ovis, Nemo. y) Io. Alexand. Brasavici Nkv, Omni. d) Eiusd. Elegia Mopsus in dolio. e) Io. Pasgeratii Nichil. 2) Io. Henr. Acheri Carmina nonnulla. g) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis heredy Saxonis Gothiani. h) Eiusd. Oratio de concordia nationis et perspicua elegantiq. latina dictationis. i) Eiusd. Comento de iudicio phrygum filii Romani vulgo neglecto. x) In christo.
5. Io. Henr. Schaeferi Schedon critica-philologicam, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicæ, Latine, Græcæ ac Hebrææ, simulq. næui quidam in vulgarijs præceptis, nec non aliqua compendia doctrinæ addibenda ostenduntur.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Diss. de recta linguarum discendarum ratione.
7. Eiusd. Diss. de scriptura, eius origine, natura et variis modis, præcipue per litteras ex ere fissas.
8. Christ. Gottl. Ioecheri Diss. de N. Antonii Frimviri Timonio.
9. Sigism. Frid. Dresigii Comento de correctoribz imperij Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Diss. de Hubeatino clerico Crescentinate, elegantiorum litterarum sæculi XV. in Italia insuburbore.
11. Erhard. Reuschii Diss. de bibliothecis Romanorum.
12. Nich. Lichtenstald Diss. de philothecis variis, earundem usu et abusu.
13. Io. Henr. Martii Diss. de præcipuis iisdemq. recentioribz litterarum statonibz ac Mæcenatibz.
14. Sigism. Fritschii Diss. de præcipuis iisdemq. recentioribz litterarum statonibz ac Mæcenatibz.
15. Io. Gottlob Guttleri Comento de lectione monumentorum Græcorum Latinorumq. æroanaticæ et eius in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dresigii Animadversiones in Fabri thesaurum continuatæ.
17. Dan. Guil. Molleri Diss. de S. Aurelio Victore.
18. Eiusd. Diss. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Diss. de Atticismo.
20. Io. Georg. Eccardi Censura diplomatij Carolini de scholis Onabrugenis ecclesie Græcis et Latinis, ab objectionibz Iodoc. Heron. Nunningii vindicata.
21. Sam. Florentis Reuini Diss. de præfessoribz veteris ecclesie martyribz.
22. Gottlieb Wernsdorffii Diss. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier Diss. qua testimonia patrum V. primorum seculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam coniecto labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de litterarum Græcarum necessitate.
25. Adv. Stegeri Diss. de infulsu sacre dignitatis insignibz.
26. Iac. Perizonii Diss. de rebus atque incrementis Prusiorum.
27. Io. Frid. Weidleri Diss. de sacramentalibz.
28. Io. Iac. Syrbi Sententia theologorum nstratum de determinata futurorum contingentium veritate adserta.
29. Erh. Reuschii Diss. de episcopo patre spiritali.
30. Io. Georg. Walchii Diss. de episcopo patre spiritali.
31. Eiusd. Diss. de variis theologiam tradendi modis.
32. — Historia transubstantiationis pontificia.
33. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
34. — Diss. de formulis salutandi apostolicis.
35. Henr. Klauingii Diss. de methodo demonstrandi mathematica, ad res theologicas non applicanda.
36. Frid. Iac. Truhneri Diss. de eodem argumento.

29. 31
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
**EPISCOPO
PATRE SPIRITVALI**

QVAM
PRAESIDE
PRO-RECTORE MAGNIFICO
IOANNE GEORGIO WALCHIO

CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI ECCLESIASTICO
THEOL. DOCTORE AC PROFESSORE CELEBERRIMO
CIVIVMQVE IN HAC ACADEMIA ISENACENSIVM
INSPECTORE ET H.T. DECANO


PATRONO OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

DIE VII. NOVEMBRIS A. O. R. MDCCXXXVI. 1736

PVBLICAE DISQVISIONI
SVBIICIET

IOANNES DANIEL BAER

COLMARIA - ALSATVS, S. MINIST. CAND.



IENTAE LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
EPISCOTO
PATRE SPIRITVALLI

BY NICOLAUS WOLFF
FRANCOFURTI
PROFESSORIS MATHHEMATICO
IOHANNES GEORGIO WALCHIO

QUI IN ANNO 1704
PROMOVENS IN HUIUS ACADEMIA
IN DISCIPLINA THEOLOGICA
PROMOVENS IN HUIUS ACADEMIA

IOHANNES DANIEL BARR



HALE CITTASIO IO THOMAS WITTE

VIRIS
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS
PRUDENTISSIMISQVE
REGIAE CIVITATIS COLMARIENSIS
CONSULARIBVS EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS
DN. NICOLAO ROETTLIN,
CONSISTORII EVANGELICI
H. T. PRAESIDI,
DN. IO. CONRADO PFEFFEL,
DN. GEORGIO SCHARLAPAVR,
H. T. PRAETORI CIVICO,

VT ET
VERERANDO EIVSDEM CIVITATIS
MINISTERIO

VIRIS
MAXIME PLVRIMVMQVE REVERENDIS
DN. FRIDERICO KLEINIO,
PASTORI, SENIORI ET GYMNASIARCHAE,
DN. PHILIPPO IACOBO
FAVDELIO, }
DN. SAMVELI HVGENYO, }

DIACONIS
MERITIS-
SIMIS.

DOMI-

VIRIS
MAGNIFICIS CONSULTISSIMIS
LABORANTISSIMIS
REGIAE CENSURAE
LITTEARUM
DOMINIS
PATRONIS
ATQVE
PROMOTORIBVS
SVIS
MAXIMOPERE COLENDIS
VENERANDISQVE
DISSERTATIONEM HANC ACADEMICAM
TANQVAM
STVDIORVM SVORVM SPECIMEN
PIA MENTE
CONSECRAT

IOAN. DANIEL BAER.

DOMI-



VARIA nomina iis, qui ministri ecclesiastici sunt, ac voluntatem diuinam interpretari debent, in scripturis diuinis attribuuntur, ita comparata, vt ex istis dignitas pariter ac grauitas muneris, quo funguntur, possit colligi. Adpellantur enim nunc *speculatores*, *Ezech. III, 17. XXXIII, 7.* quoniam vigilando, et quæ euenire possunt, obseruando, suos auditores de malis futuris admonere atque impedire debent, quo minus *inuadant lupi, gregi non parcentes, actor. XX, 29.* nunc *pastores, Ierem. III, 15. XXIII, 1. Ezech. XXXIV, 11. Ephes. IV, 11. i Petr. V, 2.* quippe quos deceat, oves non solum pascere verbo diuino; verum etiam a rapacibus lupis defendere. Dicuntur mox *diuinorum arcanorum dispensatores, i Cor. IV, 1.* quum versentur in ecclesia, tanquam in domo dei, quo nomine illa i *Timoth. III, 15. ebr. X, 21.* vocatur: mox *ὀπηρέται τῆς λέξης, ministri verbi, Luc. I, 2.* quibus non conuenit, imperium quoddam; aut potestatem sibi vindicare; sed quorum munus requirit, vt deo atque aliis in causis ad salutem æternam spectantibus

A

tibus seruiant. Vocantur *legati dei*, quando Paullus dicit: ὑπὲρ χριστοῦ πρὸς θεοῦ, ὡς τὰ θεῶν παρακαλῶν-
τος δι' ἡμῶν, pro christo legatione fungimur, ut deo per
nos exhortante, 2 Cor. v, 20. et alibi: ὑπὲρ τοῦ εὐαγγελίου
πρὸς θεοῦ, pro euangelio legationem obo, Ephes. vi, 20.
Quæ adpellatio itidem et dignitatem et officia mini-
strorum ecclesiæ haud obscure indicat, hancque in
rem IO. GERHARDVS * obseruat: nemo sibi partes le-
gati sumit, nisi a legante imponantur. Sic ministri non
currant, antequam mittantur: legati continent se intra
certos ac præscriptos mandati terminos; sic ministri non
nisi eloquia dei profertur, nihil addentes, nihil demen-
tes. Legati iure gentium sunt inuiolabiles: unde grauiter
animaduerti solet in eos, qui regum ac principum legatos
iniuria adficiunt; sic deus seuerè vindicat iniuriam lega-
tis suis illatam. Nec obscurum est nomen episcoporum
et presbyterorum, in libris noui testamenti sæpe ob-
uium, ea ratione, ut voces istæ promiscue vsurpen-
tur, atque ex eiusmodi vsu æque ac ex aliis momentis
haud difficulter colligatur, apostolorum ætate episco-
pis et presbyteris parem et communem fuisse dignita-
tem; nec illos præ his maiorem habuisse auctorita-
tem. Sunt adhuc aliæ adpellationes, quas si quis di-
ligenter collectas videre velit, adeat paulo ante ex-
citatum IO. GERHARDVM.**

§. II.

In diuersis hisce nominibus id quoque locum
suum habet, quo episcopi; siue ministri ecclesiæ ad-
pellantur *patres*. Varia sunt scripturarum diuinarum
loca,

* loc. theol. loc. de minister. h. ** loc. cit. §. XIII. sqq. p. 16.
eccles. §. XXXV. tom. vi. p. 37.

loca, in quibus adpellatio hæc modo expressis verbis; modo ipsa re indicata occurrit. Sic 2 reg. II, 12. Elifam, et 2 reg. VI, 21. rex Israelitarum Elifam expresse nominat *patrem*; quemadmodum autem prophetae et doctores dicuntur *patres*; ita discipuli eorum nunquam *fili* prophetarum adpellantur. In nouo testamento itidem exempla et testimonia adpellationis huius habemus. Paulus constituit discrimen inter *pedagogos* et *patres in christo*, additque: *in christo iesu per euangelium ego vos genui*, Corinthios quippe, quibus apostolus adnuntiauerat euangelium suasque operas ad conuersionem illorum, ac generationem spiritualem contulerat, 1 Cor. IV, 15. Corinthi enim euangelii causa per annum et sex menses commoratus est: ecclesiam ibi plantauit, actor. XV III, 1. sq. atque epistolas ad Thessalonicenses scripsit, quemadmodum præter alios IOACHIMVS LANGIVS* et HERMANNVS WITSIUS** ostendunt. Qualem autem differentiam inter *pedagogum* et *patrem in christo* intellexerit apostolus, de eo interpretes dissentiunt. Nonnulli putant, per *παιδωγωγῆς* respici ad doctores, quibus olim obnoxii fuerint iudæi, vt infantes tenelli; aut intelligi per *pedagogos* doctores, legem præ euangelio vrgentes, atque adeo morosiores et acerbiores; per *patres* autem tales, qui euangelice et mansuete animos ad christum perducant, et in eo conferuent, vt IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS*** obseruat. Sed apostolum per *pedagogos* intelligere generatim euangelii doctores, qui Corinthios, postquam

A 2

* comment. de vita et epistol.
Pauli p. 89. sqq.

** in melet. Leidens. p. 89. sqq.

*** cur. philolog. et crit. in
h. l. p. 360. sq.

quàm ad deum conuersi fuerint, ampliore rerum diuinarum cognitione instruere et possent et deberent, imprimis quum essent; saltem ex parte *πρῶτος ἐν χριστῷ*, *1 Cor. III, 1. sq.* seque illis veluti patrem opponere, quoniam primus extiterit, cuius ministerio Corinthii ex semine verbi diuini sint regenerati, et rei et verborum ratio docet. Doctores enim illos non simpliciter adpellat *παιδαγωγός*; sed *παιδαγωγὸς ἐν χριστῷ*, ac quamuis apud veteres *παιδαγογός* essent, quibus provincia pueros regendi, eorumque mores formandi tradita erat, hincque a præceptoribus distinguerentur, prout *IUSTVS LIPSIVS* * monet; vox tamen *παιδαγογός* late quoque vsurpatur, de eo, qui iuuentutem ducit et ad cognitionem et ad bonos mores. Ita Paullus quodammodo doctores a patribus distinguit, ac per patres speciatim eos intelligit, qui suo ministerio aliorum regenerationem ac conuersionem ad christum adiuuant et promouent. Patres sunt, qui liberos gignunt: *παιδαγογός*, qui genitos erudiunt. Hinc recte dicit *AEGIDIVS HVNNIVS*: ** *promptum est, colligere, patres hoc loco dici, quorum ministerio et labore suæ integra aliqua ecclesia; suæ persone singule primus ad fidem euangelii conuertuntur; παιδαγογός vero, qui homines aliorum prædicatione iam ad fidem conuersos in eadem amplius confirmant et edificant, docendo, admonendo, consolando, aliasque muneris ecclesiastici partes et operas obeundo. Paullus itaque se patrem Corinthiorum nuncupans, ostendit, suo ministerio illos ad fidei communionem primo esse vocatos et perductos, actor. XVIII. ideoque subiungit: siquidem in christo iesu per euangelium vos genui,*

* not. ad Senecam de ira lib. II. cap. 22. p. 68.

** comment. in 1. Cor. IV, 15, tom. IV. oper. latin. p. 181.

genui, hoc est, dominus iesus vos per euangelium meum inter vos predicatum genuit, ut ex ethnicis christiani: ex infidelibus fideles: ex filijs iræ nasceremini filii gratiæ et regni celestis heredes.

§. III.

Insignis quoque locus hac de re extat Gal. IV, 19, ubi Paulus dicit: *τενια υμ, ες παλιν ωδινα, αχρη ε μορφωθη χριστος εν υμιν.* filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis christus. Sane verba sunt, quæ summum amorem, egregiam fidem, ac dexteritatem patris cuiusdam spiritualis indicant. Apostolus in Galatia paslim christo ecclesias collegerat, et quidem in illa expeditione, quam anno christi LI. post concilium Hierosolymitanum cum Sila per Asiam et Græciam fecerat, *actor. XVI, 6.* sed quum Galatæ in cursu veri christianismi non constanter progredierentur ac christo relicto, ad Mosen redirent, id agebat Paullus non sine cura, labore et molestiis, ut eorum generatio iterum fieret. Hoc in excitato loco indicat atque in isto comparat se cum matre, ut significet, non solum se Galatas amore, qui matrum sit proprius, prosequi; verum etiam per eorum generationem spiritualem, tales molestias ac dolores sentire, quales percipiat mater, quando foetum in utero gerat ac parturiat. Expresse usurpat verbum *ωδινα*, quod idem est, ac *a parvu doleo, partus doloribus adsorcior, parturio*, atque per illud regenerationem indicat; talem tamen, quæ a ministris ecclesiæ, ubi istam curare velint, non sine molestiis ac doloribus possit promoueri. THEOPHILACTVS* ad hæc verba

A 3

* p. 475.

ba dicit: πάλιν ὑμᾶς ᾠδῶ, διὰ τῆς διδασκαλίας πάλιν ἀναγεννῶ, iterum vos parturio: per institutionem iterum regenero: et OECUMENIVS: * πάλιν ὑμᾶς ᾠδῶ διὰ τῆς διδαχῆς. πάλιν γεννῶ διὰ τῆς κατηχήσεως, rursus vos parturio per doctrinam: rursus genero per institutionem catechetica. At vero quum apostolus dicat, se Galatas iterum parturire, donec formetur in illis christus; foetus autem in vtero ante formari debeat, quam in lucem possit edi, DANIEL HEINSIVS ** quidem vocem ᾠδῶν maullt explicare per in vtero gestare; quam parturire, atque inter alia dicit: quis parturit, ἵνα μορφωθῆ, vt formetur, quod in vtero iam geritur, quum ipsa μόρφωσις, foetusque formatio diu legitimum, quod ignorare nemo potest, antecedit partum; sed recte obseruat celeberrimus IO. CHRISTOPHORVS WOLFFIVS, *** vocem ᾠδῶν in omni sua amplitudine accipi posse, ita vt generatio in vtero, formatio foetus et parturitio comprehendatur. Primum enim apostolus significat, Galatas, quamuis a christo eiusque disciplina defecissent; gestari tamen adhuc in vtero matris ecclesiae: immo se eos complecti visceribus amoris, illosque vt filiolos compellare, in spem adductum, fore vt animi eorum iterum ad iesum christum conuertantur. Hinc porro indicare vult, se id agere, vt christus in illis formetur, id est, vt per fidem in vnionem et similitudinem cum christo veniant, sicque pristinam verorum christianorum formam recipiant, ac veluti membra corporis mystici, cuius caput est christus, cognoscantur. Quo facto, ex significatione vocis ᾠδῶν ampliore atque ex sententia apostoli

* comment. ad b. l. p. 600.

*** cur. philolog. et crit. in

** exercitation. sacr. p. 450.

b. l. p. 756.

stoli sequi debebat, vt Galatæ denuo formati ederentur atque omnium comparerent oculis, tanquam ii, qui nunc priuilegia ac dignitatem filiorum dei recuperarunt.

§. IV.

Sunt alia loca, quæ antea de episcopo, patre spiritali dicta confirmant atque illustrent. Ad Thessalonicenses scribit Paullus: *quemadmodum scitis, vt vnumquemque vestrum, sicut pater liberos, sic cohorteremur*, 1 epist. 11, 11. Onesimum autem expresse nominat filium suum, additque: *ὁ ἐν ἐσθύνῃσιν ἐν τοῖς δεσμοῖς ἔστω, quem genui in vinculis meis*, epist. ad Philem. v. 10. Hic Onesimus patria erat Coloffensis, teste ipso Paulo, Coloss. 1V, 9. et statu suo seruus Philemonis; homo tamen ἀρχαῖος, qui postquam fidem erga dominum deferendo, furtum fecerat, in turpem sese dedit fugam. Illorum sane sententia nullam veritatis speciem præ se habet, quam laudat BARONIUS, *Onesimum non scelere aliquo ex ædibus herilibus aufugisse; sed Paulli amore, cuius prædicationem in Asia posturus paullulum degustasset, Romam se contulisse*. Nihil enim habet Paullus in epistola sua ad Philemonem, quod sententiæ huic vllam conciliare possit speciem: immo vbi cuncta, quæ perscripsit, adcurate considerantur, facile quisque intelliget, eos omnino a veritate aberrare, qui ita sentiunt. Sed per singularem dei prouidentiam contigit, vt christum, eiusque meritum amplecteretur, atque ad veram emendatæ mentis felicitatem perueniret, cuius conuersionis Paullus instrumentum extitit, suasque operas ad istam perficiendam contulit. Hinc adpellat Onesimum *filium suum*, spiritali quippe: hinc addit rationem huius adpellationis: *quem genui in vinculis meis*, nimirum in vinculis prioribus, qui-

quibus Romæ erat adstrictus, anno seruatoris nostri LXII. Naui enim Onesimus Romam venit, quumque ibi Paullum deprehenderet atque audiret, conscientiæ morsus, quibus impulsus fortasse ad Paulli scholam accessit, tanti fuerunt, vt illi nulla alia ratione, nisi vera ad christum conuersione, et cum herero eius reconciliatione, sedari possent. Sed de ipso Onesimo non est, quod plura edisseramus, quæ si quis scire velit, ABRAHAMVM CALOVIVM,* HERMANNVM WITSIVM** et IOACHIMVM LANGIUM*** adeat. Id potius pro dissertationis nostræ ratione obseruamus, quod idem apostolus Timotheum adpellat *filium*, modo simpliciter, 1 *Timoth.* I, 18. 2 *Timoth.* II, 1. modo additis vocibus, quæ virtutes eius commendant, quum ab eo dicitur filius, isque ἀγαπητός καὶ πιστός ἐν κυρίῳ, 1 *Corinth.* IV, 17. 2 *Timoth.* I, 2. ac γνήσιος, 1 *Timoth.* I, 2. quæ vox notat germanum, sincerum, minime degenerem, æmulum paternæ indolis, patri quam simillimum, vti HERMANNVS WITSIVS* monet. Quare et apostolus, postquam Timothei sui mentionem fecerat, statim subiungit: ἑδέξατο ἕως ἰσόψυχον, ὅστις γνήσιος τὰ κατὰ θεοῦ κληρονομία. *Philipp.* II, 20. Eadem ratione apostolus hic Titum *Tit.* I, 4. et Petrus Marcum, 1 *Petr.* v, 13. *filium* adpellant.

§. V.

In antiquitate ecclesiastica egregia habemus et testimonia, quæ confirmant, ministros ecclesiæ esse debere

* præloq. ad adnot. in epist. ad Philemon. in bibl. illustr. Paulli p. 150. sq.
 ** in meletemas. Leidensib. *** comment. de visa et epist. exerc. 16. de visa Tim. §. 4. p. 560.

debere patres spirituales, et exempla eorum doctorum, qui munera sua sacra ea ratione administranda curarunt, vt pulcriorem patrum imaginem præ se ferrent. In eo studia sua collocarunt, vt aliorum conuersionem promouendo, existerent patres: conuersos, vti filios suos amarent atque omnia curarent, quæ ad solidam eorum felicitatem spectabant. Legenda sunt hanc in rem, quæ apud EVSEBIUM * de Ioanne apostolo narratur. Erat adolescens quidam, quem apostolus hic ad salutarem duxerat cognitionem, eumque episcopo cuidam, vt ei prospiceret, commendauerat; postquam autem ille, omni honestatis studio abiecto, vitiosam plane et flagitiosam viuendi rationem esset amplexus, hocque ex episcopo Ioannes audiret, hic quæsiuit illum atque ad locum, vbi erat, accessit. Adolescens, nunc dux ac præfectus nequissimorum hominum, Ioannem accedentem propius cognouit et per pudorem fugæ se tradidit; at Ioannes concito cursu hominem persequutus, oblitus ætatis suæ, acclamauit: τί με Φεύγεις τέκνον τὸν σαυτῆ πατέρα, τὸν γυμνὸν, τὸν γέροντα; ἐλέησόν με τέκνον, μὴ φοβῆ. ἔχεις ἐτι ζωῆς ἐλπίδα, quid me patrem tuum fugis, fili, inermem et senem? misereere mei, fili; noli timere: adhuc superest tibi spes salutis. Vti illustre est hoc exemplum; ita præclara quoque est confessio, quam AMBROSIVS ** de se ipso hanc in rem dedit. Dicit enim: non minus vos diligo, quos in euangelio genui; quam si coniugio suscepissem. Non enim vehementior est natura ad diligendum; quam gratia. Plus certe diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros; quam

B

quos

* hist. eccl. lib. 111. cap. 23.
p. 92. sq.

** de officiis ministror. lib. 1.
cap. 7. tom. 11. oper. p. 8.

quos in hoc tantum seculo. Illi degeneres nascuntur frequentius, qui dedecent patrem: vos ante elegimus, ut diligamus. Ita non solum de ipsa re testatur; verum etiam rationes, easque grauiores recenset, cur ministri ecclesiae eos, quos per euangelium genuerunt, tanquam filios singulari amore prosequi debeant. Idem pronuntiat BASILIVS magnus: * τέκνον ἐστὶ πνευματικὸν τῆ διδασκαλίας ὁ μαθητής, ὁ γὰρ παρὰ τινος τὴν μορφῶσιν τῆς εὐσεβείας δεχόμενος, ἕτος οἰοίει διαπλάττειται παρ' αὐτῆ, καὶ εἰς σύστασιν ἀγεται, ὡσπερ καὶ ὑπὸ τῆς κυοφορέσεως, τὰ θεία τὰ ἐν αὐτῇ διαμορφώμενα. Ὅθεν καὶ Παῦλος ὅλην τὴν ἐκκλησίαν τῶν γαλατῶν ἐκ τῶν προτέραν διαπεύσσαν μαθημάτων, καὶ οἰοει ἀμβλαδέεισαν, πάλιν ἀναλαμβάνων καὶ μορφῶν ἀνωθεν ἐν αὐτοῖς τῶν χριστῶν, τέκνα ἔλεγε, filius spiritualis doctoris est discipulus. Quicumque enim ab aliquo formulam pietatis institutionemque mutuatur, is velut conformatur ab illo ad perfectam compositionem, et educitur; quemadmodum et a muliere pregnante, quae in utero gestat infantes. Unde Paulus omnem Galatarum ecclesiam ex prima collapsam disciplina, et veluti abortiuam iam rursus resumens, atque christum in illis reformans, filios adpellabat. Addi possunt, quae CHRYSOSTOMVS passim hac de re habet, quum doctorem expressè adpellat πατέρα πνευματικόν, patrem spiritualem; alibi autem dicit: non tantum id patrum facit, si gignat; sed etiam, si bene instituat, cuiusmodi testimonia ex CHRYSOSTOMO aliisque scriptoribus collecta exhibent atque indicant IO. CASP. SVICERVS ** et GOTTFR. ARNOLDVS, ***

§. VI. Ita

* comment. in psalm. xxxiii, 12.

*** in der geistlichen Gestalt eines evangelischen Lehrers; part. I.

tom. I. oper. p. 193.

cap. 4. §. 16. 17. p. 98.

** thesaur. ecclesiast. tom. I.

p. 637. et p. 1253.

§. VI.

Ira de adpellatione, qua ministri ecclesie dicuntur patres spirituales, eiusque auctoritate exposuimus. Nunc de ipsa re, quæ in nomine hoc continetur, breuiter dispiciamus. Nomen hoc duplicem rationem præ se habet, quarum altera est *dignitatis*; altera vero *officii*. Quod ad *dignitatem* attinet, nomen patris omni ætate honoris ac reuerentiæ vocabulum fuit, ita vt, qui meritis suis, sua eruditione suisque virtutibus se commendarent; aut dignitatem præ se ferrent, hincque veneratione digni existimarentur, patres sint adpellati. Apud iudæorum gentem doctores nomine *אבות* *patrum* vocatos esse, constat, hancque in rem *ברקי אבות* *capitula patrum* collectio sententiarum et monitorum a doctoribus antiquioribus professorum dicitur.* Sic adfessores concilii et primates populi iudaici *patres* sunt vocati, hocque nomine illos in oratione sua Stephanus compellauit dixitque: *ἀδελφοὶ καὶ πατέρες ἀκούσατε*, *fratres et patres audite*, *actor. vii, 2.* Veteres romani, quod et aliæ gentes fecerunt, non solum patronos adpellarunt *patres*, quum ea præstare deberent clientibus, quæ patres filiis solent præstare; sed etiam præsidēs ciuitatis *patriæ patres*, quod honoris genus primum Ciceroni, patefacta Catilinæ coniuratione, tributum; postea autem adpellationem hanc imperatoribus communem fuisse, satis est notum. Qua de causâ autem principes ita dicti sint, præter alios SENECA** docet: *quod parenti,*

B 2

* confer CHRISTIANI p. 745. sq.
SCHOETTGENII *hor. ebraic.* ** *lib. 1. cap. 14. de clementia rom. 1. oper. p. 451.*
et colmudic, in nou. testamens.

ii, inquit, etiam principi faciendum est: quem adpellauimus patrem patrie, non adulatione vana adducti. Cetera enim cognomina honori data sunt. Magnos et felices et augustos diximus, et ambitiose maiestati quidquid potuimus titulorum congesimus, illis hoc tribuentes: patrem quidem patrie adpellauimus, ut sciret, datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens. Quis porro vsuri vocis patrum de doctoribus ecclesiæ christianæ ignorat, iis præsertim, qui post apostolorum tempora de religione christiana propaganda conseruandaque extiterunt solliciti hisque meritis magnam consequuti sunt laudem? Equidem qui de patribus ecclesiæ loquuntur, vocem hanc non vna eademque ratione accipiunt atque in illorum ætate definienda discrepant. Nonnulli istam tam late vsurpant, ut ea comprehendant omnes scriptores ecclesiasticos, qui vsque ad emendationem ecclesiæ; aut seculum duodecimum, quo theologia scholastica exorta est, vixerunt. Alii contra vocabulum hoc ad solos apostolos pertinere, hosque præcipue patres esse adpellandos, putant, id quod ex antiquioribus existimat AVGVSTINVS; ex recentioribus autem ANDREAS RIVETVS* dicit: apostoli præcipue, secundum deum, in ecclesiâ patres dici debent, ut qui ex dei certe reuelatione, primi fuerint ecclesiarum architecti, et doctrine propagatores, ut merito prophete et apostoli aliorum quorumuis respectu, patres patrum soli audire debeant. Sed tamen si ad vnum vocis huius auctoritate plerorumque confirmatum respiciamus, patres ecclesiæ vocantur illi doctores, qui sex prioribus seculis floruerunt, ac quamuis suis nauis labora-

* tract. de patrum auctorit. cap. 1. tom. II. oper. p. 1047.

laborarent, ac pro hominum conditione errorum minus essent expertes; piis tamen studiis ac meritis in sanctiorem christianorum coetum exstiterunt insignes. Sunt eorum alii apostolici, qui ipforum christi legatorum ætate vixerunt, atque eorum vsi sunt institutione ac disciplina; alii vero non apostolici, quo nomine reliqui, qui illos exceperunt, veniunt, siue sint græci; siue latini. Hoc modo *patrum* nomen eiusmodi ecclesiæ doctoribus tributum omnino ad honorem et reuerentiam spectat. Plura de vsu illius edisserunt IO. HOORNBEEKIUS, * IO. HENRICVS HOTTINGERVS, ** ANDREAS RIVETVS, *** IO. FRANCISCVS BYDDEVS. *

§. VII.

Quum antiquior christiana ætas omni episcopo nomen *parris* daret, quisque ex illo sanctiori ordine dictus quoque fuit *papa*. De origine vocis huius variæ dantur sententiæ, aliis istam deriuantibus a voce infantum cibum petentium, quum cibum et potionem *buas* ac *papas* vocent; aliis vero a *πάππαις*, quod vocabulum idem sit ac pater; aut ab adpellatione principum et imperatorum *pater patriæ*, compendii causâ scripta *pa. pa.* Sed quæcumque originem nomen hoc præ se habeat, id obseruasse sufficiat, quod illud omnibus episcopis olim fuerit commune. Ita veterum epistolæ ad episcopos datæ hanc inscriptionem habent: *domino papæ N. salutem*, vt non solum ex

episto-

B 3

* in *miscellaneis sacr.* p. 1. sq.

tom. 11. oper. p. 1047.

** *analect. historic. theolog.** *isagog. ad theol. vniuers.*

dissert. 7. 11. p. 318.

lib. 11. cap. 3. §. 2. p. 535.

*** de *patrium auctoris.* cap. 1.

epistolis ad Cyprianum scriptis; verum etiam ex AV-
GUSTINO, HIERONIMO atque aliis patet, hancque
rem præter reliquos probat FRANCISCUS BERNARD.
FERRARIUS. * Ita episcopi passim dicuntur *pape*
apud scriptores ecclesiasticos. TERTULLIANVS **
de certo quodam christiano episcopo, poenitentes re-
cipiente loquens, *benedictum papam* eum adpellat: et
licet ponamus, vt alii existimant, sermonem heic esse
de episcopo romano; minus tamen ex eo colligi
potest, eo tempore nomen *pape* per dignitatem quam-
dam ad solum episcopum romanum spectasse. Mini-
me hoc adfirmandum est. Eodem sane tempore Dio-
nysius, presbyter Alexandria de Heracla episcopo suo
verba faciens, itidem eum vocat *beatissimum papam He-
raclam*. In epistola enim ad Philemonem, ecclesie ro-
mana presbyterum, scripta, quam EVSEBIUS *** re-
censet, inter alia dicit: τὴν ἐγὼ τὸν κἀνονα, καὶ τὸν
τύπον παρὰ τῆ μακαρίᾳ πάπᾳ ἡμῶν Ηρακλᾶ παρέλαβον,
*hanc ego regulam et formam a beatissimo papa nostro He-
racla accepi*. Ipse Arius de Alexandro episcopo suo
eamdem adhibuit adpellationem. Quum enim ad
Eusebium Nicomediensem scriberet, eique salutem
dicere vellet, hac formula salutandi vsus fuit: κυρίῳ
προθευοτάτῳ, ἀνθρώπῳ θεῶ πιστῷ, ὁμοδοξῷ Εὐσεβίῳ,
*Agios ó δικαιόμενος ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τῆ πάπᾳ ἀδικῶς διὰ
τὴν πάντα νικῶσαν ἀλήθειαν, ἧς καὶ σὺ ὑπερασπίξεις, ἐν
κυρίῳ χαίρειν, domino desideratissimo, viro dei, fideli, or-
thodoxo Eusebio, Arius, qui iniuste persecutionem patitur*
ab

* de antiquo ecclesiasticar.
epistolar. genere libr. III. cap. I.
p. 154.
** de pudicit. cap. XIII.

p. 729. oper.

*** histor. eccles. libr. VII.
cap. 7. p. 253.

ab Alexandro papa ob victricem omnium veritatem, quam tu quoque defendis, in domino salutem, ut apud THEODORITVM* legimus. Idem confirmat HIERONIMVS** Epiphanium, Athanasium atque alios papas adpellando: itemque PRUDENTIVS*** ita canens:

*Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
Purpureasque notas vepribus impositas.*

cuiusmodi plura recenserentur testimonio, nisi res ipsa omnibus, qui vel leuiorem industriam ad antiquitatem ecclesiasticam contulerunt, satis esset nota. Quando autem veteres adpellarunt episcopos quosuis papas, illos patres esse venerabiles, indicare voluerunt. Papa enim nihil amplius significat. HESTICHIVS: πάππa πατρός ὑποδείγμα, et SVIDAS: * πάππa, προσφώνησις πρὸς τροφία, καὶ τὸ πάππa καὶ τὸ ἀππa ἢ Ἰδῶς ὁ πατήρ, ἀλλὰ πρὸς πατέρα σεπλίην φωνή, est πάππa vox, qua quis nurium adloquitur. Et πάππa et ἀππa non vocatur simpliciter pater; sed est vox, qua quis patrem reuerenter compellat. Plura si quis scire velit hac de re, quod olim adpellatio papae omnibus episcopis fuerit communis; postea vero istam sibi propriam vindicauerint, veluti singularem quamdam dignitatem, episcopus romanus atque Alexandrinus, legat ille IOANNEM SAVARONEM,** JACOBVM PAMELIVM,*** IOANNEM SELDENVM,

* *Histor. ecclesiast. libr. I. cap. 5. p. 20.*

** *epistol. xxxviii. ad Pammach. tom. iv. oper. p. 306.*

*** *periseph. xi, 127.*

* *lexic. tom. iiii. p. 22.*

** *ad Sidonium libr. I.*

epist. 6.

*** *not. ad Tertullian. de pudicit. p. 728.*

NVM, * CAROLVM DV FRESNE, ** IOSEPHVM BINGHAMVM, *** IO. CHRISTOPHORVM WOLFIVM, * IACOBVM BASNAGIVM, ** EVSEBIVM RENAVDOTIVM.***

§. VIII.

Ex iis, quæ nunc diximus, patet, in vetere ecclesia nomen *patrum* episcopis honoris causa esse tributum; vbi tamen omnia adcurate expendere velimus, facile videbimus, illud variæ obnoxium fuisse abusioni. Primum enim coeperunt, nomen hoc tantum veluti honoris ac dignitatis titulum vsurpare, idque de episcopis, postquam hi præ presbyteris atque aliis ministris ecclesiæ auctoritatem obtinuerunt, adhibere; reliquos autem episcopis inferiores, quamuis omnino fuerint patres spirituales, minime *patres*; aut *papas* adpellandos esse, existimarunt. Hinc porro non tam de ipsa re; quam de nomine, ac quæ cum eo coniuncta fuit, dignitate solliciti extiterunt. Multi dicti sunt patres, qui re ipsa nihil minus; quam patres fuerunt. Aliis minus datum est *patrum* nomen; quo tamen per suas sanctiores operas, per suos labores perque merita maxime erant digni. Quisque enim, qui suum ministerium ad aliorum conuersionem confert, hancque per gratiam diuinam promouet, est omnino, et adpellari debet pater spiritualis; siue ad inferiorem; siue superiorem virorum sacrorum ordi-

* comment. ad Eutychie orig.
eccles. Alexandr. p. 139. sqq.

** glossar. ad script. med.
et infim. latin. voce: papa.

*** in originib. siue antiquit.
eccles. volum. i. p. 76. sq.

* not. ad Casaubontan. p. 332.

** præfat. general. ad Canisii
lection. antiqu. cap. 1v. §. 3.

p. 37.

*** histor. patriarchar.
Alexandrin. p. 27. sq.

ordinem pertineat. Nec est, quod inter *spirituales* et *ecclesiasticos* patres distinguas moneasque, in antiquiore ecclesia episcopos non tam spirituales; quam ecclesia patres esse dictos, ac quidem propter munus, quo perfuncti fuerint, grauitatem. Sola enim muneris ratio ad adpellationem patris iure ac merito tuendam non sufficit. Nomen *patris* non tantum honoris; verum etiam officii est vocabulum, meritaque, si quis illud vindicare sibi velit, accedere debent. Hacce efficiunt veram patris dignitatem, ac si quis de aliis bene meritus *pater* dicitur, habet omnino nomen dignitatis ac reuerentiæ plenum. Tale est, quod tribuntur ministris ecclesiæ. Quodsi enim sunt patres spirituales, singularem præ se habent dignitatem et tantorum auctores sunt meritorum, vt pro illis omnis honor et reuerentia eis merito habeatur. Considera, quantum opus sit conuersio hominis: quanta mutatio per istam fiat. Nonne per eam homo a statu mortis spiritualis, peccati, seruitutis sub peccato, tenebrarum, iræ diuinæ atque æternæ damnationis transfertur ad statum vitæ spiritualis, lucis, libertatis, gratiæ ac sempiternæ salutis? Summa sane sunt mala, quæ per conuersionem tolluntur: summa bona, quorum homo per istam fit particeps. Expende speciatim, quantum sit opus fides in iesum christum. Habet illa inter opera diuina omnino principem locum, et summum dei opus est. Pater id non solum ex ipsius indole atque objecto, quod est iesus christus cum omnibus eius meritis; verum etiam ex effectibus, cuiusmodi sunt vnio cum christo, ac quæ ex ista sequitur, omnium meritorum participatio: libertas: ius filiorum dei: spiritus sancti inhabitatio: ius hereditatis caelestis. Hinc et conuersio hominis, vt quam magnum sit opus, cognoscatur, in scriptura sacra sub imagine

noue

nouæ creationis, psalm. LI, 12. 2 Corinth. IV, 6. V, 17. Ephes. II, 10. ac resurrectionis, Ephes. II, 1. 5. 6. V, 14. Coloss. II, 12. exhibetur, ac beatus MARTINVS LUTHERVS* de fide, tanquam summo omnipotentia diuina opere, ita differit: das ist über alle Wunderwercke, daß vns Gott solche Kraft giebet, dadurch alle vnfre Sünde vergeben vnd verülget, der Tod vnd Teufel vnd die Hölle überwunden vnd verschlungen wird, daß wir ein vnerschrocken Gewissen, vnd frölich Hertz haben, vnd vns für keinem Dmg fürchten. Immo considera, quanta sit hominis naturalis repugnantia, vbi ad deum conuerti debeat: quanta mentis humana aduersus fidem inimicitia: quot et quanta sint diaboli machinationes atque insidiae, vt spiritualem in homine mutationem impediatur. Repugnantia huius fons est peruersissimus amor erga se ipsum, quippe qui excitat odium erga id, quod a superba ratione haud capi potest ac deprauatae voluntatis cupiditatibus repugnat: quumque nihil adeo recedat a corrupta natura libidine, ac doctrina de cruce christi, quid mirum, vbi prodat se odium atque inimicitia hominum aduersus fidem in seruato-rem crucifixum. Quis igitur non intelligat, requiri omnino magnam vim eamque caelestem, ac multos labores ad inimicitiam hanc superandam; nec conuersionis opus sine molestiis ac curis posse perfici?

§. IX. Quæ quum ita sint, quis non videat, magnam esse dignitatem ministrorum ecclesiæ, qui sunt patres spirituales. Deus eos adhibuit, veluti instrumenta in conuersione hominum, sicque in opere, quod graue, illustre: immo summum: est atque ad æternam mortalium felicitatem spectat. In primis dignitas hæc

ce patet partim ex conditione eius, a quo ministri ecclesiae tanquam instrumenta adhibentur, quippe qui est ipse summus atque immortalis deus; partim ex ipsius operis ratione, ad quod perficiendum suas conferunt operas; ita comparati, ut sola virtute diuina possit effici: ut admirabiles producat effectus; nec ad huius; sed alterius vitae felicitatem spectet. Egrege hanc in rem MARTINVS LVTHERVVS, * parentes adloquendo, quorum filii officii sacris addicti sunt, ita differit: *weil Gottes Wort vnd Amt, wo es recht gehet, muß ohn Unterlaß große Dinge thun, vnd eitel Wunderwercke treiben, so muß dein Sohn auch ohn Unterlaß große vnd eitel Wunder thun für Gott, als Todten auferwecken, Teufel austreiben, Blinden sehend, Tauben hörend, Aussätzigen rein, Stumme redend, Lahme gehend machen, obs nicht leiblich geschicht; so geschichts doch geistlich in der Seelen, da es viel grösser ist, wie Christus spricht Ioan. XIV, 12. wer an mich glaubet, der wird die Wercke auch thun, die ich thue, vnd wird grössere denn diese thun; et paucis interiectis: wer hilft nun den Menschen zu solchem Glauben vnd Anfang der leiblichen Auferstehung, ohn das Predigtamt vnd Wort Gottes, das dein Sohn führet? Ist nun das nicht ein vnmesslich grösser herrlich Werck vnd Wunder, denn so er leiblich; oder zeitlich Todten auferweckete zu diesem Leben. Hinc et patribus spiritualibus omnis honor omnisque reuerentia debetur. Qualem venerationem parentes naturales a liberis postulant; talem sane patres spirituales habere debent ab iis, quos ex semine verbi diuini genuerunt. Quae deus liberis, qui naturales sunt, praecepit, ut parentes amore atque honore prosequantur, *Exod. XX, 12. Ephes. VI, 2. 3.* ac quouis modo gratum erga eos animum montrent, eadem ad filios quoque spectant spi-*

C 2

rituales,

* vid. CONRADI PORTAE *pastorale Lutheri p. 3. sq.*

rituales. Recte obseruant interpretes decalogi, in præcepto quarto *parentum* vocabulum late esse sumendum atque vti de aliis, quibus spiritus sanctus nomen hoc tribuat; ita quoque de doctoribus ac ministris ecclesiæ, imprimis quum sint patres spirituales, explicandum, qua de re legenda sunt, quæ MARTINVS CHEMNITIVS,* IO. GERHARDVS,** IO. CONRAD. DANNHAEVERVS,*** ANDREAS RIVETVS* atque alii monent. Quare et Paulus dicit: *οἱ καλῶς προσεωτήτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιοθώσαν*, bene *presbyteri duplici honore digni habeantur*, 1 Timoth. v, 17. id est, quemadmodum nonnulli vocabulum *duplex* explicant, magno honore; alii tamen id intelligunt non de solo cultu erga presbyteros; sed ad duplicem rem, nimirum ad reuerentiam et sustentationem ex redditibus publicis simul præstandam respicere illud, putant: immo nonnulli existimant, verba apostoli de solo stipendio esse intelligenda, cuius *duplex portio* presbyteris sit exhibenda hincque maior eorum, quam viduarum, de quarum sustentatione ante actum sit, cura habenda. Id saltem certum ac notum est, quæ alias *salaria* adpellentur, *honoraria* quoque dici. Sed non est, quod de hoc Paullino loco plura edisseramus.

§. X.

Postquam vidimus, nomen *parris*, quando ministri ecclesiæ patres spirituales sunt et adpellantur, vocabulum esse honoris ac dignitatis, enarrare nunc decet, quomodo simul sit nomen *officii*. Quæ heic dicenda sunt, ad duo capita possunt reuocari, quorum alterum est: qua ratione minister ecclesiæ fiat *pa-*
ter

* in locis theolog. part. 11. et in schola pietatis p. 703.
loc. de lege dei p. 61. *** colleg. decalog. p. 618. sq.
** in loc. theolog. tom. 111. * in prælect. plenioribus in
loc. de lege dei §. CXLIII. p. 99. cap. xx. exod. tom. 1. oper. p. 1348.

ter spiritualis; alterum vero: vbi talis sit, quidnam ab eo sit agendum, vt officii patris spiritualis satisficiat. De vtroque momento distincte exponamus. Quod igitur ad prius adinet: qua ratione minister ecclesie fiat pater spiritualis, quisque facile intelligit, vocabulum *patris* improprie heic adhiberi. Satis id indicat addita vox *spiritualis* ac respicit ad aliud quoddam patrum genus, idque proprium et ab hoc distinctum. Patres nimirum sunt vel *proprie* sic dicti tales; vel *improprie* ita adpellati, qui, vbi ad varium vocis huius vsum animum aduertamus, iterum in patres politicos, ecclesiasticos, spirituales atque alias species diuidi possunt. Pater *proprie* adpellatus; siue naturalis, est, qui genuit liberos: pro hac igitur vocis huius explicatione dicendum est, patrem spirituales esse, qui genuit liberos spirituales. Hinc alia est generatio naturalis: alia spiritualis. Posterior figurate ita dicitur, quoniam id, quod per illam significatur, cum generatione naturali magnam habet similitudinem. Est enim nihil aliud, quam mutatio illa, qua homo ex statu mortis spiritualis ad vitam spiritualem transfertur, dum in eo fides in iesum christum, principium vite spiritualis, accenditur. Idque est, quod in scriptura sacra modo *regeneratio*, modo *conuersio*, modo *penitentia* dicitur. Quamuis enim hæc vocabula quodammodo inter se differant; si tamen rem ipsam spectamus, inter se conueniunt ac singula idem, nimirum mutationem hominis spiritualem, significant. Hæc mutatio exhibetur in scripturis sacris sub imagine generationis cuiusdam, quoniam ista multa habet, quæ similitudinem cum generatione naturali produunt. In vtraque considerari possunt ac debent et gignens et geniti: cum semen, ex quo fit generatio; cum natura cum generante communio, ac quæ alia generis

huius

huius sunt momenta. Hisce ante positis, facile intelligi potest, quidnam requiratur, si minister ecclesiæ fieri debeat pater spiritualis. Fieri debet generatio spiritalis; siue regeneratio: conuersio ac poenitentia: necesse est, vt ex semine verbi diuini filios gignat, quod tamen non ita capiendum est, ac si minister ecclesiæ efficere possit, vt alii ad iesum christum conuertantur, atque a statu mortis spiritalis ad vitam spiritualem perueniant. Minime hoc est adfirmandum. Minister non est causa efficiens regenerationis ac conuersionis aliorum, quippe quæ tantum opus est, vt omnium humanarum virium fines plane excedat. Deus est, qui homines regenerat et conuertit, *Ier. xxxi 1, 18. Ezech. xxxvi, 26. Ephes. ii, 5. i Ioan. i v, 7. v, 1. 4. Philipp. ii, 13.* itz vt opus hoc omnibus tribus personis expresse tribuatur. De patre Petrus *i epist. 1, 3.* dicit: *benedictus deus pater domini nostri iesu christi, qui nos genuit;* nec vllus ad christum venire potest, nisi quem pater traxerit, *Ioan. vi, 44.* Filius se ipsum adpellat vitam, *Ioan. xiv, 6.* quia est causa omnis vitæ, non solum naturalis; verum etiam spiritalis: hincque Ioannes: *in illo vita erat et vita erat lux hominum, 1, 4.* ac coniungit merito vitam et lucem, quoniam lux intellectus a vita voluntatis haud separari potest. Quo et spectat, quando christus dicit: *nemo ad patrem venit, nisi per filium, Ioan. xiv, 6.* atque ipsemet adpellatur ἀρχηγός καὶ τελειωτής τῆς σοφίας, *ibr. xii, 2.* Nec tamen solus pater et filius; sed spiritus sanctus quoque ac quidem præcipua quadam ratione, auctor conuersionis et fidei merito censetur. Teste enim Paulo, *nemo, nisi per spiritum sanctum, christum dominum suum vocare potest, i Corinb. xii, 3.* et baptismus est *laurum regenerationis spiritus sancti, Tit. iii, 5.* Hinc et deus θεοπάτωρ, siue essentialiter consideratus pater vocatur

catur non solum ratione creationis, per quam pater est omnium hominum, impiorum pariter; ac piorum, *deuter. xxxii, 6. Ies. lxiii, 16. Mal. ii, 10.* verum etiam ratione regenerationis, quo sensu eum in oratione dominica, ut patrem compellare atque invocare debemus, et CHRYSOSTOMVS* dicit: *ὁ Θεὸς πατὴρ ἐστὶν ἡ natura φύσιν συγγένειαν, ἀλλὰ κατὰ διέξωσιν τῆς αἰσῶς, deus pater est non secundum cognationem naturalem; sed quia fides deum sibi vindicat; speciatim autem propter generationem spiritualem filius dei; siue secunda persona adpellatur pater eternitatis, Ies. ix, 6.*

§. XI.

Quodsi minister; siue doctor ecclesie non est causa efficiens regenerationis et conversionis hominum; quemadmodum nunc monstrauius; ei tamen nomen patris spiritualis tribuitur ac dicitur, quod gignere debeat ex semine verbi diuini filios; sequitur, ut considerandus tantum sit veluti causa instrumentalis. Causa huius instrumentalis; qua heic locum suum habet; ea est ratio, ut quamuis cum causa efficiente ad effectum producendum generatim concurrat; quamuis agat atque operetur; quamuis sit intelligens habeatque sibi propositam intentionem; omnino tamen a causa efficiente maxime sit distincta. Non opposita quidem sunt; atamen diuersa. Primum enim minister ecclesie non potest efficere, ut in mente hominis fiat mutatio spiritualis ac fides accendatur; sed actionem hanc internam solus deus suscipit, ac perficit. Deinde agit quidem atque operatur, media gratia adnuntiando, exhibendo, adplicando, siue fiat publice; siue priuatim; itemque preces ad deum pro hominum salute fundendo; se ut exemplum sanctioris vitæ, quod sit imitandum, commendando, aliasque mune-

* *hoquil. VII. in epist. ad romanos p. 59.*

muneris sacri partes implendo, quam in rem etiam ministri ecclesiæ dicuntur operari; *Matth. IX, 37. 38. X, 10. 1 Timoth. V, 18. 2 Timoth. II, 15. σνεργοὶ θεοῦ, 1 Corinth. III, 9. architecti sapientes, 1 Corinth. III, 10. dispensatores arcanorum diuinorum, 1 Corinth. IV, 1. satores, Matth. XIII, 3. sq. agricolæ, 2 Timoth. II, 6. 1 Corinth. III, 9. quæ et aliæ adpellationes satis indicant, ministros agere variasque, si suo officio satisfacere velint, actiones suscipere debere. At vero ut ipsimet agunt tantum externe; non interne; ita deus per illos operatur, ac per media gratiæ, in quibus dispensandis veluti œconomi versantur, in animis hominum spirituales effectus producit, quod haud obscure videndum est ex eo, quando in scriptura sacra, ut paullo ante obseruauimus, cum satoribus, agricolis, plantatoribus et hortulanis comparantur. Denique licet heic causa instrumentalis sit intelligens, habeatque propositum sibi scopum; pro sua tamen voluntate scopum illum nec determinare debet; nec semper obtinere potest. Ita ministri ecclesiæ tantum causæ instrumentales conuersionis hominum sunt; quoniam autem cum causâ efficiente ad effectum hunc conuersionis producendum concurrunt, hancque promouere possunt, scriptura sacra illis æque, ac deo, tanquam causæ efficienti, eiusmodi effectum attribuit. Sic Paullus scribit ad Corinthios: *in christo iesu per euangelium vos genui, 1 Cor. IV, 15. ad Galatas: vos iterum parturio, Gal. IV, 19. de Onesimo: eum genui in vinculis meis, Philem. v. 10.* quo et alia eiusmodi loca spectant. De Ioanne baptista prædicatur, quod daturus sit cognitionem salutis populo israelitico in veniam peccatorum, *Luc. I, 77.* Ad Paullum dicit deus: *mittam te ad gentes, ut aperiās oculos earum, Act. XXVI, 17. 18.* ac postquam Paullus Timotheo præceperat, ut curam gerat*

et sui ipsius et doctrinæ, atque in ea perseveret, addit: *ἄλλο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούσας σε*, hoc enim faciens, et teipsum servabis et auditores tuos, 1 Tim. IV, 16. Hæc atque alia scripturæ loca, quamvis causam quamdam efficientem indicare videantur; organice tamen; siue de causa instrumentali intelligenda sunt, quod non solum ex paullo ante observatis patet; verum etiam Paullus expresse dicit: *legati sumus christi nomine: deus enim per nos exhortatur*, 2 Cor. V, 20.

§. XII.

Quæ nunc monuimus, verbis servatoris nostri: *patrem ne vocetis vestrum in terris: vnus est enim vester pater, qui est in celis*, Matth. XXIII, 9. lucem adferunt, modumque suppeditant, quo ista sint intelligenda. Obseruandum enim est, verba hæc respicere ad morem iudæorum, quo apud istos doctores adpellati sunt *patres* ac discipuli *fili*, quemadmodum iam supra monuimus; nec ipsum vsum in se spectatum vocis *patris* de doctore, ministro ecclesiæ aliisque damnare, quoniam scriptura sacra alioquin sibi ipsi esset contraria; sed tantum abusum illius reiicere. Hic apud iudæos non mediocris fuit. Adfectabant eorum doctores nomen *patrum*, veluti honoris ac dignitatis titulum: tribuebant sibi per istum magnam auctoritatem ac volebant, vt sententiæ eorum, monita atque interpretationes, tanquam oracula diuina, in summo haberentur pretio. Quum autem hac ratione aliis fucum facerent ac persuaderent, se esse eorum patres spirituales, quibus in omnibus sine vlla dubitatione esset credendum atque obtemperandum, addidit christus: *vnus est vester pater, qui est in celis*, nimirum deus, qui est pater spiritualis,isque vnus, tanquam auctor et causa efficiens regenerationis et conuersionis, operis, quod nullius hominis viribus potest adtribui. Recte hæc intelligendo, AVGVSTINVS*

D

memo-

* enarrat. in psalm. LXXVII, tom. III. oper. p. 616.

memoratis hisce christi verbis subiungit: *quod non ideo dictum est, ut hoc vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur; sed ne gratia dei, qua in eternam vitam regeneramur, nature; vel potestati; vel etiam sanctitati cuiusquam hominis tribueretur. Ideo quum Paulus diceret: ego vos genui, prædixit, in christo et per euangelium; ne ipsius putaretur esse, quod dei est.* CHRYSOSTOMVS * autem ad eadem verba: *non vocetis patrem, hæc obseruat: εἴχ' ἵνα μὴ καλώσιν, ἀλλ' ἵνα εἰδῶσιν, ὅτι κυρίως πατέρα καλεῖν χρὴ. καθάπερ γὰρ ὁ διδάσκαλος εἶπ' ἐστὶ διδάσκαλος προηγουμένως. ἔτιως ἔδεδεσ' πατέρ'· ἐκεῖνος γὰρ πάντων αἰτίος, καὶ τῶν διδασκάλων, καὶ τῶν πατέρων, non ut neminem patrem vocent; sed ne ignorent, quem principaliter patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter magister est; sic nec pater præter illum, qui tam magistrorum; quam patrum omnium causa est: adde, quæ ad locum hunc recte intelligendum atque illustrandum adferunt ED. POCOCCIVS, ** IO. GE. DORSCHEVUS, *** WOLFG. FRANTZIVS, * IO. SELDENVS. ***

§. XIII.

Quum monstrauimus, quomodo minister ecclesiæ fiat pater spiritualis, si nimirum ex semine verbi diuini liberos gignat; aut aliorum conuersionem promoueat; restat, ut ipsa spiritualis patris officia breuiter explicemus. Patribus, quos natura constituit, lex diuina præcipit educationem liberorum, quam et patres spirituales; suo tamen modo, curare debent. Id enim ab iis sedulo agendum est, ut geniti ex verbo diuino, quum adhuc infantes in christo sint, in cursu christianismi progrediendo, ad maiora fidei et vitæ christianæ incrementa enitantur: fidem in iesum christum constantem seruent: in omni veritate studioque rerum piarum confirmentur: in rebus aduersis solatio erigan-

tur

* hom. LXXIII. in Matth. xxiii. 19.

P. 347. 14.

** not. miscell. in port. Moysi p. 334.

* de int. v. prei. sacrar. scripti. p. 590.

*** comment. in quat. euangelist.

** de synedriis lib. vi. cap. 7. p. 736. 17.

tur ac tandem ad cælestem et sempiternam perueniant felicitatem. Hæc est summa eorum, quæ a patribus spiritualibus sedulo et fideliter curanda sunt. Vbi tamen studia hæcæ prosperiorem successum habere debeant, duo sunt necessaria: solidum quippe fundamentum, et rectus legitimorum mediolorum vsus. Quod ad fundamentum adinet, positum illud est in vero ac sincero amore. Amor vt patres naturales; ita spiritualis quoque impellit ad liberorum salutem promouendam, quo si quis careat, minime aptus est ad veram patris dignitatem tuendam. Talis ille esse debet, qualem natura gignit in animis patrum; aut matrum. Gratia sua vi ac virtute minime cedit naturæ, quod Paullus luculentissimo suo exemplo comprobatur. Ad Thessalonicenses enim scribit: *adeo mites inter vos fuimus, vt quemadmodum nutrix suos fouet alumnos,* 1 Thess. 11, 7. Idem confirmat CHRYSOSTOMVS* atque animum amoris erga auditores plenissimum declarat. En! verba eius egregia, quæ latine tantum transcribere liceat: *nihil mihi vobis carius, ne lux quidem ista. Optarim enim ipse, vel millies execrabilis esse, si queam per hoc vestras animas conuerti. Adeo mihi luce dulcior est vestra salus. Quid enim mihi profunt solis radii, si dolor per vos obortus multam caliginem offundat oculis? et paucis interiectis: hoc solum adfero ad votum, quoniam desidero profectum vestrum, quod aduersus omnes decerto; h. e. quoniam conglutinatus sum, quoniam omnia mihi vos estis, et pater, et mater, et fratres ac liberi. Amor hic oritur ex amore erga iesum christum, quo pater spiritualis omnino inflammatus esse et cum Paulo dicere debet: amor christi constringit me, 2 Cor. v, 14. ac sine quo nemo suos auditores vere amare potest. Quomodo illos amet: eorum saluti æterna prospiciat, quando christum non amat: immo eum odio prosequitur? Atqui hi sunt,*

* homil. 111. in act. apostol.

de quibus Paullus dicit: *sue rei student, non iesu christi, Phil. 11, 21. sunt christiane crucis hostes, 111, 18.* Hinc christus quum Petro agnos et oues suas iterum tradere et commendare vellet, nihil aliud ex eo quaesivit, nisi hoc: *amas me? Io. XXI, 15. 16.* Vtriusque autem amoris huius et erga liberos spirituales, et erga christum fons et origo est fides, per caritatem efficax, *Gal. v, 6.*

§. XIV.

Amor, quo pater spiritualis liberos suos prosequitur, gignit non solum studia, iis optime consulendi; sed etiam paternam rationem, causas omnes ad veram eorum felicitatem spectantes tractandi, efficit. Est ille *ἐπιεικής, æquus, mitis, lenis, 1 Tim. 111, 3.* qui licet malas actiones reprehendat; reputando autem, eas non tam malitiæ; quam incuriæ atque infirmitati suam debere originem, minime violenta et aspera remedia adhibet ac stricto iuri præfert aequitatem. Hinc minus est *πλάκτης, quod Paullus iridem ab episcopo requirit, id est, haud pronus est ad iniurias aliis inferendas, nec re ipsa; nec verbis. Quumque potius est ἀμαχος, 1 Tim. 111, 3. 2 Tim. 11, 23. 24.* deuitat omnem contentionem, inuidiam, amulationem, inimicitiam atque alios prauos mentis affectus, qui nihil aliud, quam materiam perturbandi ecclesiam, suppeditant. Immo vbi est verus pater spiritualis, bonus quoque est pater naturalis, quem admodum Paullus vult, episcopum debere esse *ιδίῃ οἴκῃ καλῶς προϊσάμενον, qui domui suæ rite præsit, 1 Tim. 111, 4.* atque in eo operas suas collocat, vt liberos suos naturales instituat in pietate, aliisque exempla ad imitationem proponat. Quid multa? si scire velis, quales fructus omnis verus amor, ac per consequens is etiam, qui in patre spirituali inest, adferat, legas Paulli de eo sententias *1 Cor. x111, 4. sq.* Inter alia dicit: *ἀγάπη χρηστεύται, amor benignus est, itemque: ὃ ζητεῖ τὰ ἑαυτοῦ, non sibi ipse studet, ac significat, patrem spiritualem per amor.*

amorem id agere, vt multa beneficia in liberos conferat atque oblitus propria vtilitatis ac commoditatis, felicitatem eorum ac salutem non solum conferuet; verum etiam ampliorem efficiat. Sane qui eiusmodi patris laudem tueri velit, non sibi ipsi: non propriis commodis studere debet: animus requiritur, non mollis, non languidus, voluptati corporis deditus; aut auarus; sed ad omnes labores, molestias, curas suscipiendas paratus. Summa adhibenda est diligentia. Non sufficit, publice ea peragere, quæ muneris ratio postulat, orationes facras recitando: examina catechetica instituendo: sacramenta administrando ac confitentes peccata absolvendo. Priuata quoque studia, eaque continua vt accedant, necesse est. Visitationes domesticæ fieri debent, non tantum ægrotorum; sed valentium quoque causa, siue sint regeniti; siue irregeniti: siue pii; siue impii, quarum necessitas inter alia ex adpellatione ministrorum ecclesiæ, quando *pastores, vigiles, hortulani, agricolæ, æconomi* vocantur, itemque ex apostolorum exemplis patet. Quid enim sibi vult illud *διδάξαι δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους*, quid *καθὰ οἶκον εἶναι ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου*, quid *ὄρατε ἵνα ἐκαστος*, *act. XX, 20. 26. 31.* immo quis necessarias illas esse, dubitaret, quum vbi negligantur, maximum damnum ex parte pastorum et ouium ex eo oriatur. Tam clara est necessitas hæc, vt ex ipso iureconsultorum ordine fuerint, qui de ista dicerent testimonium ac visitationes domesticas commendarent. VITVS LVDOVICVS A SECKENDORE* dicit: *es ist eine überaus berrübte Sache, daß kein Pfarrer leichtlich zu seinem Beichtkind; oder diese zum Pfarrer kommen; als im Beichtstuhl vnd Todesnöthen; oder zu einem Gelag vnd Gastmahl. Warum solte nicht zum wenigsten aller Orten möglich seyn, was an erlichen geschiehet, daß der Pfarrer zu gewisser Zeit alle vnd jede Haushaltungen besuchet.*

D 3

* in *Christenstat* libr. III. cap. 10. §. 9. p. 571.

suchet, vnd Hauswirthe, Kinder vnd Gesinde im Christenthum fraget vnd vnterweiset? oder warum solte sich ein Pfarr-Kind scheuen vnd widern, auf Begehren zu seinem Pfarrer zu kommen, vnd sich von ihm erinnern zu lassen, so er etwas von ihm gehöret, das nicht christlich vnd gut schiene; oder ihm zur Erbauung dienet? oder warum solte er nicht vnterfordert kommen, vnd mit ihm von der Erbauung im Christenthum Sprache halten, ihm sein Gebrechen vnd böse Neigung entdecken; oder Rath holen, wie er sich vnd die Seinigen von vermerckter Unart abhalten vnd bessern könte? oder warum solte er sich seiner Unterweisung nicht bedienen, wie er sich in diesem vnd ienem Handel obherweisslich vnd so verhalten möchte, daß Gott nicht erzürnet, vnd der Nächste nicht beleidiget werde? Dazzu gehören aber verständige, gelehrte, gottselige, gewissenhafte, bescheidene, holdselige, keusche, züchtige, verschwiegene Priester, cetera. Eamdem rem commendant, eiusque necessitatem ostendunt alii ordinis huius celeberrimi viri, IO. BRUNNEMANNVS,* SAM. STRTKIUS,** IVSTVS HENNINGIUS BOEHMERVS,*** quibus ex nostris theologis addi possunt PAVLVS TARNOVIUS,* ARN. MENGERINGIUS,** qui tamen sententiam antea defensam postea reiecit,*** PHIL. IAC. SPENERVS,* IO. FECHTIVS,** GOTTFRIED. ARNOLDVS,*** IOACHIMVS LANGIVS* atque alii.

§. XV.

* in iure ecclesiastic. lib. 1. cap. 6. membr. 2. p. 155. sq.

** additio. ad Brunnemanni ius eccles. p. 162.

*** iur. parochial. sect. IV. cap. 4. p. 234. sq.

* L. ministr. eccl. lib. 11. cap. 22. p. 795.

** in scrutinio conscient. catechet.

† p. XIX. quæst. 14. p. 1351. sq.

*** informat. conscient. euangelic. part. II. quæst. 1.

* in den theologischen Belegen,

part. I. cap. 11. art. 4. sect. 20. 21 p. 75. sq.

** dissert. de domestica auditorum visitat. ab eccl. ministris instituend. Rostoch. M DCC VIII.

*** in der geistlichen Gestalt eines euangelischen Lehrers, part. I. cap. 14.

§. 32. p. 406. et part. II. cap. 10. §. 19.

p. 302. qui et alios auctores huc spectantes recenset.

* in orat. sacra ab artis homilet. vanit. repurgat. part. II. adpend.

membr. 3. p. 226. sq.

§. XV.

Quodsi per verum amorem solidum fundamentum eorum officiorum, quæ a patre spirituali præstanda sunt, in mente positum est, partes suas omnino implet, ita tamen, ut *rectum legitimumque mediorum usum* adhibeat. Parentes naturales quando finem suum in educandis liberis consequi volunt, subsidia, quæ ad illum impetrandum comparata sunt, ut legitime vsurpent, necesse est. Idem requiritur a patribus spiritualibus. Ad educationem liberorum ex semine verbi divini genitorum itidem certa subsidia et necessaria sunt, et suam utilitatem habent. In his principem locum tenet verbi divini, legis pariter et evangelii recta prædicatio prudensque applicatio ac legitima sacramentorum administratio pro conditione illorum, quibuscum, tamquam liberis, agendum est. Hæc enim sunt media gratiæ a deo ita præscripta, ut per ista homo naturalis regenerari; ubi autem regeneratus est et vires per fidem accepit, in vita spirituali proficere debeat, *1 Io. 111, 9. Luc. viii, 15. Tit. 111, 5. 1 Petr. 111, 21.* Accedit porro exemplum sanctioris vitæ, quod merito pater spiritualis ad imitandum exhibet. Felices sunt liberi naturales, quos parentes non præceptis tantum; sed suis quoque virtutum exemplis docent, instituunt, instruunt. Magna ut omnium; ita horum quoque exemplorum vis ac dignitas est. Hinc et patres spirituales omni studio sanctimoniam dediti sunt, probe scientes, quod exemplo non minus; quam voce suos liberos ac quosuis suos auditores erudire ac eam vitæ rationem tenere debeant, ut eos ad imitationem sui adhortari, ac cum Paulo dicere queant: *μὴ μιμηταί μὲς γίνεσθε, καὶ θεὸς καὶ γὰρ χριστῶς, 1 Cor. xi. 1.* Id quod est, quod Paulus quam maxime ab episcopo requirit in epistolis pastoralibus, imprimis *1 Tim. 111, 2. sq.* adhibito verbo *θεῶς, oportet*: episcopum oportet esse reprehensionis expertem: itaque: *μὴ νεώτερον, non recens conuersum,* quo et alia scripturæ sacræ loca spectant, *1 Tim. 11, 12. Tit. 11, 7. 1 Petr. v, 3. 1 Cor. 11, 16. Phil. 111, 17. 1 Thess. 1, 6. ebr. xii, 7. 17.* Sane recte *ÆASP. ZIEGLERVS* * dicit: *quid sapius est ac turpius, quam cum,*

* de episcopis libri 11. cap. 2. s. 6. p. 10.

sum, qui alios vitæ sanctitatem docet, docere certe debet, doctrinæ suæ contrariam plane agere vitam, sibi quæ ipsi veluti in os contradicere? plus sane ædificat ecclesiam suam episcopus exemplo; quam doctrina: plus vita; quam scientia. Denique ut parentum naturalium preces piæ ac castæ maximam vim habent ad prosperiorem educationis liberorum successum, quin sine illis haud salutare quid effici queat; ita patris quoque spiritualis est, ut diligenter oret ac precatione sua liberorum ex verbo diuino genitorum: immo omnium auditorum deo commendat salutem, 1 Sam. XII, 23.

§. XVI.

Ita de episcopo; siue ministro ecclesiæ, patre spirituali differuimus, ea ratione, quam et ipsa res et vsus adpellationis huius in libris noui fœderis requirit. Pro hac norma, quam in explicando hoc argumento sumus sequuti, nomine *patris spiritualis* non alium potuimus comprehendere, nisi qui ad alterius vitam spiritualem suas operas contulit eumque tamquam instrumentum ex semine verbi diuini genuit. Eiusmodi minister stricte et *κατ' ἐξοχήν* pater spiritualis est. Pro vsu loquendi, qui vel in scriptorum libris deprehenditur; vel vulgaris est, adpellationem hanc etiam ampliorem habere significationem, haud ignoramus. Sic baptismi testes qui quæ a confessionibus erant, spirituales patres dicebantur, ut præter alios CAROLVS DV FRESNE* ostendit; sed nolimus vocabulum hoc tam late sumere. Non tam de quouis illius vsu; quam de ipsa re, a spiritu sancto per adpellationem hanc declarata, fuimus solliciti. Id vnicum addimus. Potest quis ad dignitatem patris spiritualis peruenire, licet haud sit minister; aut doctor ecclesiæ. Quicumque enim per doctrinam, per exemplum ac preces impios excitat ac commouet ad veram mentis emendationem ac conuersionem illorum ita promouet, ut ista per gratiam diuinam omnino fiat, ille omni iure pater eorum spiritualis potest adpellari.

NOBI

* glossar. ad script. med. et infim. latin. voc. pater.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

IO. GEORGIUS VVALCHIVS.

QVAM suscepisti, commentationis argumentum, non solum antiquioris christianorum coetus; verum etiam ipsius dei reuelantis auctoritate munitum, graue est atque vtile, hancque ob causam dignitatem, qua se commendat, habet singularem. Exponis enim de oraculorum caelestium interpretibus ac monstris, quomodo patres imitari: filios ex verbi diuini semine gignere: eosdem paterno prosequi amore, omniaque, quae ad solidam illorum felicitatem pertineant, diligenter prudenterque per gratiam dei curare debeant. Hæc sunt, quae omnem muneris sacri rationem pariter ac grauitatem in se continent, ac propter multorum puerilitatem negligentiamque sedulo sunt tradenda et commendanda. Recte igitur agis,

E

quum

quum nunc de argumento hoc ex sacris literis atque antiquitate ecclesiastica edisseras, ac simul ostendas, te rectam ingenii exercendi rationem adhibuisse, ac singularem tibi comparasse eruditionem. Fecisti id cum in Argentoratensi academia, cuius musas per quinque annorum spatium amplexus es; tum in nostro litterarum domicilio atque per eximii tui ingenii bonæque mentis virtutes egregiam existimationem ac multam laudem tibi conciliaisti. Gratulor tibi de cursu vitæ academicæ feliciter confecto: de munere, ad quod per cælestem dei prouidentiam debes admoueri, ecclesiastico: de industriæ tuæ publico documento. Deus pro sua sapientia ac benignitate efficiat, vt fias pater multorum liberorum, qui in verorum christianorum societate iura sua ac priuilegia habent. Deus te bonis omnibus adfluentem diutissime seruet et tueatur. Vale. Ienæ d. xxix. octobr. anno reparatæ salutis humanæ

M DCC XXXVI.

PRAE.

PRAESTANTISSIMO AC PEREXIMIO
DN. IO. DANIELI BAERIO

S. P. D.
GEORGIUS CHRISTOPH. STELLWAGIVS
PHILOS. MAC.

EGO sane TE, Nobilissime BAERI, præclare egisse existimo, quod prius patris spiritualis grauiissima officia animo complecti volueris, quam ex decreto Reuerendi Senatus sacri Colmariensis publicum docendi munus susciperes. Dicit enim non potest, quam sit ineptum, si quis promittat, confirmet atque iuret, se promissa obedienter seruaturum esse, quæ ipse tamen ignoret. A TE igitur, Nobilissime, rectiora longe sperare atque expectare licet. De studio atque candore TVO quæ pia atque iusta sunt sequendi, eo minus dubitare possumus, quo accuratius et diligentiam plane indefessam et uitam ad integritatis normam eximie compositam, non sine insigni voluptate obseruauimus. TIBI autem nec eorum notitiam deesse, quæ ecclesiæ ministro, qui fidelis et felix per verbum saluatoris parens fieri vult, hoc ipso demonstras, quod dissertationem mea quidem laude præstantiorem, cuius argumentum huc maxime pertinet publice defendere decreuisti. Faxit diuina benignitas, vt multos aliquando christo, officii TVI fructum exigenti, exhibere possis, qui TE patrem suum, qui secundum spiritum est, nominent. Scrib. Iena d. xxvii. Octobris

M DCC XXXVI.

DVM TE iungit iis Ecclesia Patria, BAERI,
Hactenus in Christo quos est venerata Parentes;
TV nomen *Patris* quo verus Episcopus audit
Exponis, tradisque quibus virtutibus esse
Debeat instructus, si tanto dignus honore
Esse cupit. Vita modo TV quod præcipis imple.
Sic TE certa manet supremi gratia Patris,
Sic TE sancta Patrem soboles numerosa beabit.

Egregium studiorum specimen Honoratissimo Amico gratulatus
cum omnigenæ prosperitatis voto scribebat

M. IO. CASPAR REVCHLIN,
Argentoratensis.

O Quam felici cathedram conscendis Amice!
Sidere, dum sistis spirituale Patris.
Hæc etenim fuit assidui TVA cura laboris,
Vt Pater in templo sancta alimenta dares.
Quid? quod eris mox spiritualis Episcopus ipse,
Semine qui verbi membra domus generes.
Gratulor inignes TIBI quos intendis honores,
Quæque feres Musis præmia digna TVIS.
Diuinus Pater in cælis TVA fata secundet,
Vt sint ex voto prospera cuncta TIBI.

Hicse Præstantissimo Ministerii Candidato Amico suo intes
dilectos præcipuo ex animo applaudit

M. IO. MARTINVS BOEHM,
Argentoratensis.



ME 154893

AB: 154893

ULB Halle 3
003 313 859




ST

→ 18

VD 17







29. 37
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
**EPISCOPO
PATRE SPIRITVALI**

QVAM
PRAESIDE
PRO-RECTORE MAGNifico
IOANNE GEORGIO WALCHIO

CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI ECCLESIASTICO
THEOL. DOCTORE AC PROFESSORE CELEBERRIMO
CIVIVMQUE IN HAC ACADEMIA ISENACENSIVM
INSPECTORE ET H.T. DECANO

PATRONO OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO
DIE VII. NOVEMBRIS A. O. R. MDCC XXXVL 1736
PVBLICAE DISQVISIONI

SVBIICIET
IOANNES DANIEL BAER
COLMARIA - ALSATVS, S. MINIST. CAND.



IIENAE LITTERIS IO. FRID. RITTERI.